

exsortes, & alienos prorsus à regno cœlorum. Ipsi verò, vt loquitur Epiphanius. Ἀκτημοσύνη inducebāt, per quam nihil erat proprium cuiusquam. Hoc cōtrarium verbo Dei dogma & Iesuitæ & Anabaptistæ maximè sunt amplexi. Nituntur autem loco qui est in Act. Apost. cap. 4. versu 32. vbi dicuntur omnia fuisse nō tantum inter Apostolos, sed etiam inter omnes Christianos communia: sed sequitur explicatio, nimirum, ne quis inter eos egeret. Ergo propter summam charitatem, quæ inter eos feruebat, erant eorum bona χρήσει μὲν κοινὰ, οὐδ' ἐκτήσσει, id est, vsu quidem communia, vt loquitur Tullius, nō tamen mācipio. Quare tam absurdam sententiam pulcherrimè refutant Clemens lib. 3. Stromat. & hoc loco Epiphanius. 4. Libris quibusdam Apocryphis pro Euangelicis vtuntur, quibus suum errorem confirmant, qualia sunt Acta Thomæ & Andree quæ vocant, & Euangelium secundum Ægyptios inauditum. 5. Lapso post Baptismum Christianos nunquam postea, sed ne pœnitentes quidem in Ecclesiam recipiunt. Epiphanius. quod illis est cum Nouatianis commune, vel quod venenum Nouatiani ab istis porrectum acceperunt & lubenter ebiberunt. Ita citò pullulant & perniciosè crescunt, quæ primùm infœliciter sparsa & seminata sunt.

CAP. XLI.

Sabellius quis fuerit. Sabellianos autem vix aut parum admodum à Nouatianis differre, qui & ipsi Patripassiani, & Praxiani & Hermogeniani dicuntur.